



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Vita Et Epistolae Bonifacii Papae VII. Vvlgo VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

T A.
ixisset C.
et, ille tan-
te sua di-
re rediens,
tus est, ubi
uit. A Cle-
acula rela-
tio fuerit le-
mporis E-
mibiungam-
tolica pro-
nis, & tan-
o concor-
sum, quin
regula B.
us est vo-
m tunc &
im, exem-
. In via et-
cula fecit;
o simplex
cedenda
um silen-
t, propter
papatu,
pientum
n consti-
a presens
atis eam-
ta, statim
alis, qui
em suam
e suis fe-
identem
habuisset
ne schi-
os annos
Dominus
in mo-

BONIFACII PAPÆ VIII. VITA. 675

VITA ET EPISTOLÆ

BONIFACII PAPÆ VII.
VVLGO VIII.

ANNO
CHRISTI
1294.

BONIFACIVS VIII. patria Anagninus, antea Benedic-
tus Caietanus vocatus, Neapoli ipsa vigilia nativita-
tis, vir doctrina quidem insignis, & rerum experientia lau-
dabilis, verum supra modum ambitiosus & arrogans, in
locum Cælestini sese pontificatu abdicantis subrogatus
est anno Christi 1294. tempore Adolphi & Alberti im-
peratorum. Naçtus pontificatum, indulta & fauores per
prædecessores suos Cælestinum (quem metu futuri schi-
smatis, teste Eberhardo, recludi mandauit) & Nicolaum
concessa abrogauit. Gibellinos persecutus contra Colum-
nenses implacabile odium concepit: ex quorum familia
duo cardinales schismatici per ipsum denuntiati sunt, &
omnibus thesauris spoliati. Præneste obsidione cingit, ac
diripit; idem quoque ad Zagalorum & Columnam fecit.
Scierra Gibellinorum patronus, pontificis furorem declin-
ans in piratas incidit. Omnia apostolorum & euange-
listarum, item quatuor doctorum ecclesiæ, festa sub dupli-
ci officio celebrari instituit. Sextum librum decretalium
compilari iussit. Eugubium, qua Gibellinorū auspiciis ab
ecclesia defecerat, recuperavit. Alberto Austriæ duci im-
perii confirmationem bis terque petenti denegauit. Rea-
te existens cum vehementi terramotu multa ædificia rui-
nam passa fuissent, ipse sibi in medio prati domum ligneam
construi iussit. Aliquot cardinales creavit. Anno 1300.
mense Decembri annum Iubilæum instituit, quem annum
sanctum vocant, vt centesimo quoque anno celebrare-
tur. Hæresin Fraticellorum, sacramenta & potestate ec-
clesiasticam contemnentium, promiscuos concubitus exer-
centium, animarum purgatarum beatitudinem ad extre-
num iudicii diem vsque differri docentium, condemnau-
it. Corpus cuiusdam Hermanni, qui, vt scribunt Platina
& Sanderus, Fraticellorum dux erat, Ferrariæ exhumari
& cremari iussit, licet pro sancto coleretur. Patrimonii S.
Petri administrationem Carolo Valesio comiti concredi-

Concil. Tom. 28.

Qqqq ij

676 BONIFACII PAPÆ VIII. VITA.

dit. Philippum IV. cognomine Pulcrum, Franciæ regem, ob violatū ius gentium iuste excommunicauit. Nam cum Apamensem episcopum sedis apostolicæ legatum ideo in carcerem conieciſſet, quod eum ad expeditionem Hierosolymitanam additis quibusdam minis exhortatus fuſſet, monitusque a Bonifacio, vt sub pœna depositionis legatum dimitteret, rex, teste Antonino, non modo non paruit, sed etiam vias inter Franciam & pontificem interclusit. Conuocatis prælatis & nobilibus Francorum rex coram abbe Cisterciense a sententia pontificis appellauit: sed abbas interpositam appellationem non acceptauit. Conducit ergo, iniuriam sibi illatam vlturus, Sciarram Columnensem e manibus piratarū a se redemptum, eumque cum Nogaretio Gallo equite Romam misit: qui noctu Anagniam ingressus, pontificem nihil metuentem & pontificalibus indutū inueniens, Domino disponente, ob dignitatē sedis apostolicæ non est ausus mittere in eum manus, sed prædæ cum suis triduo vacans papam custodiz commisit: liberatus autem post triduum a ciuib⁹ Romam rediit, vbi confectus tædio & mœrore trigesimo quinto die post moritur, anno Domini 1303. v. Idus Octobris. cum sedisset annos 8. menses 9. & dies 17. in S. Petro sepultus est, in facello quod ipse extruxerat. Pulpitum ipse quoque erigi in Laterano procurarat, ex quo excommunications die Iouis sancto publicabantur: vbi etiam Philippus & Columnenses anathemate notati fuerant. Et, vt ait Panuinius, decretum Gregorii X. de creatione pontificis approbavit; id quod etiam Cælestinus fecerat.

EPISTOLA I.
BONIFACII PAPÆ VIII.
AD ROBERTVM ARCHIEPISCOPVM
CANTVARIENSEM.

Vt præsentet regi literas quas sibi mittit pro Scotis.
Bonifacius episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri amb
episcopo Cantuariensi salutem & apostolicam benedictionem.

FREQVENS & inculcata fide dignorum assertio ac famæ diuulgantis eloquium nostro patefecerunt audi-

VITA.
cæ regem,
Nam cum
am ideo in
em Hiero-
ritus fuisse,
ionis lega-
lo non pa-
cem inter-
corum re-
is appella-
n accepta-
, Sciarra-
tum, eum-
it: qui no-
uentem &
nente, ob-
re in eum
n custodie-
ibus Ro-
rigelmo-
dus Odo-
S. Petre
pitum ipse
xcommuni-
tiam Phi-
nt. Et, vi-
ne ponti-
rat.

II.
OPVM
cotis.
tri anti-
litionem.
io ac fa-
ut audi-

BONIFACII PAPÆ VIII. EPISTOLÆ. 677

tui excessus, molestias, turbationem, damna, iniurias & iacturas, per carissimum in Christo filium nostrum Eadvardum regem Angliae illustrem, & officiales, ac gentem ipsius, contra regnum Scotiæ ac prælatos, & clericos, & personas ecclesiasticas religiosas & seculares, nec non ecclesiæ, monasteria, & alia religiosa loca, & habitatores & incolas dicti regni, & bona eorum etiam attentata. Nosque nolentes, sicut nec debemus, talia sub dissimulatione transire, regem ipsum per literas nostras, quas tibi mittimus per te præsentandas eidem, seriosas hortamur, ut episcopos, clericos, & personas ecclesiasticas dicti regni, quos adhuc tenere dicitur captiuatos, restitu faciat pristinæ libertati, & officiales reuocet, quos in eodem regno asseritur posuisse, atque ad præsentiam nostram suos mittat procuratores & nuntios, cum omnibus iuribus & munimentis suis, si crediderit in præfato regno, vel aliqua eius parte, ius aliquod se habere. Nihilo minus lites, quæstiones, & controuerrias quælibet, inter ipsum regem & prælibatum regnum Scotiæ, ac prælatos, clericos, & personas seculares eiusdem regni subortas, & quæ possunt in posterum ex quibuscumque causis præteritis exoriri, totumque negotium ad decisionem & determinationem sedis apostolicae, per dictas nostras reducimus literas, & etiam reseruamus, ac decernimus irritum & inane, si secus scienter vel ignoranter a quoquam in hac parte contigerit attentari. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta in virtute obedientiæ, & sub pœna suspensionis ab administratione spiritualium & temporalium districte præcipiendo mandamus, quatenus præfas literas nostras eidem regi, sublato dilationis obstaculo, repræsententes, ac ipsum ad ea quæ sibi scribimus ut in exhortationibus acquiescat efficaciter animes & inducas. Diem quoque, quo sibi prædictas præsentaueris literas, & quidquid feceris, quidve ipse responderit & fecerit in hac parte, nobis per tuas literas patentes, harum seriem continentes, fideliter & seriosius intimare procures.

Datum Anagniæ, quarto Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno quinto.

Qqqq ij

EPISTOLA II.
BONIFACII PAPÆ VIII.
AD EADVARDVM I. ANGLIÆ REGEM.

Quod regnum Scotiæ pertineat ad ecclesiam
Romanam.

*Bonifacius episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo
filio Eadwardo regi Angliae illustri salutem
& apostolicam benedictionem.*

SCIMVS, fili, & longo iam temporis spatio magistra nos rerum experientia docuit, qualiter erga Romanam matrem ecclesiam, quæ te gerit in visceribus caritatis, regiæ deuotionis affectus exuberat, reuerentia zelus viget, quodque promptus sedis eius verbis obtemperas, & beneplacitis acquiescis. Quamobrem firmam spem gerimus, plenamque fiduciam obtinemus, quod regalis sublimitas verba nostra benigne recipiat, diligenter intelligat, efficaciter prosequatur. Sane ad celsitudinem regiam potuit peruenisse, & in tua libro memoria nequaquam ambigimus contineri, qualiter ab antiquis temporibus regnum Scotiæ pleno iure pertinuit & adhuc pertinere dignoscitur ad ecclesiam supradictam: quodque illud, sicut accepimus, progenitoribus tuis, regni Angliae regibus, siue tibi feudale non exitit, nec existit. Qualiter etiam claræ memoria Henricus rex Angliae, pater tuus, tempore discordiæ siue belli inter ipsum & quemdam Simonem de Monteforti suoisque fautores & complices suscitatae, a recolendæ memoria Alexandro eiusdem Scotiæ rege, ac ipsius Henrici genero auxilium sibi petit exhiberi. Et ne huiusmodi auxilium iure cuiuslibet subiectionis aut debiti pétitum seu præstitum notaretur, præfatus Henricus eidem regi Scotiæ suas patentes duxit literas concedendas, per eas firmiter recognoscens prædictum auxilium recepisse, vel se recepturum dumtaxat de gratia speciali. Præterea cum successu temporis præfati regis Scotiæ, tui sororii, tunc viuentis, in tuæ coronationis solenniis habere præsentiam affectares, sibi per tuas patentes tenere literas curasti, quod in ipsis solenniis eius

habere præsentiam non ex debito, sed tantum de gratia intendebas. Et cum etiam rex ipse pro Tindaliæ ac de Poynerre terris, in regno Angliæ positis, se ad tuam præsentiam personaliter contulisset, tibi fidelitatem solitam impensurus, idem in præfatione fidelitatis huiusmodi, multis tunc præsentibus viuæ vocis oraculo publice declarauit, quod pro terris eisdem, sitis tantum in Anglia, non ut rex Scotiæ, neque pro Scotiæ regno, fidelitatem exhibeat eamdem; quinimo palam extitit protestatus, quod pro regno ipso tibi fidelitatem præstare seu facere aliquatenus non debebat, vtpote tibi penitus non subiecto. Tuque sic oblatam fidelitatem huiusmodi admisisti. Et tua quoque non creditur excidisse memoria, qualiter eodem rege Scotiæ de medio quondam sublato, Margaræta puella, nepte tua, tunc minoris ætatis, herede sibi relicta, non ad te velut ad dominum peruenit custodia regni memorati, sed certi eiusdem regni proceres ad eius custodiam extiterunt electi, quodque postmodum dispensatione ab apostolica sede obtenta super matrimonio contrahendo inter dilectum filium nobilem virum Eadvardum natum tuum, & Margaretam prædictam dum viueret; si ad id procerum dicti regni accederet vel haberetur assensus, tu eisdem proceribus per tua scripta causisse dignosceris, priusquam vellent huiusmodi matrimonio consentire, quod regnum ipsum penitus liberum, nullique subiectum, seu quoquis modo submissum in perpetuum remaneret, quodque in pristinum seu talem ipsius statum restitueretur omnino, si ex huiusmodi matrimonio contrahendo liberos non extare contingeret, ac nomen & honorem ut prius pariter retineret, tam in suis sibi seruandis legibus, & præficiendis officialibus dicti regni, quam parliamentis tenendis tractandis causis in ipso, & nullis eius incolis extra illud ad iudicium euocandis. Et quod in tuis patentibus literis inde confectis hæc plenius & seriosius contineri noscuntur. Præfata insuper Margaretæ de præsenti luce subtracta, & tandem super successione dicti regni Scotiæ suborta dissensionis materia inter partes, ipsius regni proceres, metuentes sibi di-
ctoque regno posse occasione huiusmodi præiudicium generari, non aliter ad tuam præsentiam extra ipsius ac-

II.
RE GEM.
siam
in Christi
m
agistra nos
Romanam
ritatis, re-
elus viger,
ras, & be-
pem geri-
galis subli-
intelligar,
egiam po-
quam am-
oribus re-
inere dig-
lud, sicut
regibus,
ter etiam
us, tem-
m Simo-
ces susci-
n Scotiæ
t exhibe-
iectionis
prafatus
lit literas
dicitum
de gra-
fati regis
nationis
tuas pa-
niis eius

cedere limites voluerunt, nisi per te patenti scripto caue-
retur eisdem, quod id non siebat ex debito, sed ex gratia
speciali: quodque nullum exinde ipsius regni libertacibus
posset dispendium imminere. Et licet (vt dicitur) super
statu eiusdem regni Scotiæ ac eius prius habita libertate,
regno ipso tunc carente præsidio defensoris, per ipsius re-
gni proceres, tunc velut acephalos, & duos vel aurigæ suf-
fragium non habentes, siue per illum, cui præfati regni
regimen, licet indebitæ, diceris commississe, contra morem
solitum aliqua fuerint haçtenus innouata, ea tamen, vt po-
te per vim & metum quæ cadere poterant in constantem
elicta, nequaquam debent de iure subsistere, aut in eius-
dem regni præiudicium redundare. Ceterum nobis nulla-
tenus venit in dubium, quin potius certi sumus, quod
cum apostolicae sedis præcellens auctoritas per suas lite-
ras in Anglia & Scotiæ regnis simul alicui legationis com-
mittit officium exequendum, vel pro quauis causa, quam
rationabilem reputat, decimæ solutionem indicit, hu-
iustmodi apostolicae literæ ad præfatum Scotiæ regnum se-
aliquatenus non extendunt, speciali prædictæ sedis pri-
uilegio Scotis indulto penitus obſistente, prout tempo-
re felicis recordationis Hadriani papæ prædecessoris no-
stri, tunc S. Hadriani diaconi cardinalis, & per ipsius se-
dis literas simul in regnis ipsis legati, cum quo familiariter
tunc eramus, contigit euidenter. Nam legatus ipse ad
præfatum regnum Scotiæ aliquatenus admissus non exti-
tit, donec per literas speciales apostolicas sibi legationis
fuit commissum officium in eodem. Præterea noscere po-
test regia celſitudo, qualiter regnum ipsum per beati Andreæ apostoli venerandas reliquias, non sine superni nu-
minis grandi dono, acquisitum & conuersum exitit ad
fidei catholice vnitatem: qualiter etiam antiquis tempo-
ribus Eboracensis archiepiscopus, qui tunc erat, mota per
eum super iure metropolitico aduersus prælatos Scotiæ
quaſtione, in qua dictum antiquitus fuisse commemorat,
Memento quod sumus tui, vt cetera quæ inde sequuntur
ſilentio relinquamus, pro ſe ſententiam obtinere nequi-
uit, quamvis alia plura & varia, quæ in hac parte ratio-
nabiliter proponenda ſe offerunt, ex quibus ad hæc tibi
ſcribenda mouemur, præterea calamus, ne inde forſitan
ſenſi-

sensibus regiis tedium generetur. Hæc profecto, fili carissime, infra claustra pectoris solicite considerare te conuenit, & attendere diligenter, ex quibus nulli in dubium veniat, regnum Scotiæ prælibatum ad præfatam Romanam ecclesiam pertinere, quod tibi nec licet, nec licuit, in ipsius ecclesiæ, ac multorum præiudicium, per violen-tiam subiugare, tuæque subiicere ditioni. Cum autem, sicut habet fide digna & nostris iam pluries auribus inculcata relatio, famæque præcurrentis affatibus diuulgatur, tu præmissa, vt debueras, non attendens, neque debita consideratione discutiens, & ad occupandum & subiugandum ditioni regiæ regnum ipsum, tunc regis auxilio de-stitutum, vehementer aspirans, & tandem ad id exercens potentia tua vires, venerabilibus fratribus nostris Roberto Glascueni, & Marco Sodorensi episcopis, & nonnullis clericis, & aliis personis ecclesiasticis dicti regni, vt dicitur, captis, & carceralibus vinculis traditis; quorum aliquos, sicut asseritur, squalor carceris violentus extinxit: ac etiam occupatis castris, & (prout fertur) monasteriis, aliisque religiosis locis quamplurimis dirutis, seu destru-ctis, ac damnis grauibus eiusdem regni habitatoribus ir-rogatis in eiusdem regni partibus officiales regios posui-sti, qui prælatos, ceteros clericos, & ecclesiasticas ac etiam sæculares dicti regni personas, multimodis perturba-re molestiis & afflictionibus variis, & diuersis impetere non verentur, in diuinæ maiestatis offendam, sedis memo-ratæ contemptum, regiæ salutis & famæ dispendium, iuriis iniuriam, & graue scandalum fidelium plurimorum. Regalem itaque magnificentiam rogamus & hortamur attente, ac obsecramus in eo qui est omnium vera salus, quatenus solerter attendens, quod ex debito pastoralis officii nostris humeris incumbentis, ad conseruanda & gubernanda solicite bona iuraque omnia ecclesiæ supra dictæ tenemur, quodque homini plusquam Deo deferre non possumus nec debemus, prædictos episcopos, cle-ricos, & personas ecclesiasticas, quos adhuc carcer regius tenet inclusos, pro diuinæ & apostolicæ sedis ac nostra reuerentia (sublato difficultatis & dilationis obiectu) be-nigne restitui facias pristinæ libertati, dictosque offi-ciales de regno Scotiæ reuoces memorato. Sic te in his

Concil. Tom. 28.

Rrrr

prout speramus & cupimus , promptis & efficacibus studiis habiturum ut apud cœlestem regem , pro minimis grandia dependentem , non immerito reddaris acceptior , gratior habearis , & præter laudis humanæ præconium tibi proinde prouenturum , apostolicæ sedis fauorem & gratiam possis vberius promerer . Si vero in eodem regno Scotiæ , vel aliqua eius parte , ius aliquod habere te afferis , volumus quod tuos procuratores & nuntios ad hoc specialiter constitutos cum omnibus iuribus & munimentis tuis , huiusmodi negotium contingentibus , infra sex menses a receptione præsentium numerandos , ad nostram præsentiam mittere non omittas , cum parati simus tibi tamquam dilecto filio plene super præmissis exhibere iustitiae complementum , & iura (si qua habes) inuiolabili ter obseruare . Nos enim nihilo minus extunc lites , quæstiones , & controuersias quaslibet , inter te denique & regnum Scotiæ , ac prælatos , clericos & personas seculares eiusdem subortas , & quæ possunt in posterum ex quibusvis causis prædictis exoriri , totumque negotium prædicta contingens , aut aliquod eorumdem , ad cognitionem & determinationem sedis eiusdem , præsentium tenore reducimus , & etiam reseruamus , decernentes irritum & inane , si secus scienter vel ignoranter a quoquam in hac parte contigerit attentari . Datum Anagniæ v. Kalendas Iulii , pontificatus nostri anno quinto .

EPISTOLA
ROBERTI ARCHIEPISCOPI
CANTVARIENSIS
AD BONIFACIVM PAPAM VIII.
Certificatio archiepiscopi domino papæ missa super
negotiis Scotiæ .

Sanctissimo in Christo patri , & domino suo reuerendo , si placet , domino Bonifacio diuina prouidentia sacrosanctæ Romane ac uniuersalis ecclesiæ summo pontifici , suus filius denotus Robertus , permissione diuina Cantuariensis ecclesiæ minister humilis , pedum oscula beatorum , cum promptitudine iuxta posse parendi mandatis papalibus ac præceptis .

MANDATVM sanctæ & reuerendæ paternitatis vestræ sub bulla plumbea nuper recepi , tenorem conti-

nens infra scriptum: Bonifacius episcopus, &c. Frequens & inculcata fide dignorum, &c. De verbo ad verbum recitandototam bullam proxime præcedentem. Cuius sedator quasdam alias literas apostolicas nobili principi domino Eadvardo Dei gratia regi Angliae illustri directas, & per me ex iniuncto paternitatis vestrae præsentandas in continenti exhibuit, quasi sub eodem contextu. Quo quidem mandato vestro, vna cum literis supra scriptis reue renter admissis, ac statim coram me recitato, præparaui farciunculas, vecturas, & sumptus, extunc de die in diem, & familiam ordinavi ad veniendum pro expositione & expeditione eorum quæ mihi per vos mandabantur ad ipsum dominum regem, qui tunc agebat in remotioribus partibus regni sui, versus Scotiam, distantibus a loco ubi mandatum vestrum receperam per viginti vel circiter moderatas dietas. Et antequam venirem continuatis dietis cum omni festinatione ad ciuitatem Carleolum, quæ est in marchia Scotiæ, ingressus fuit idem rex cum exercitu suo partem regni Scotiæ, quæ vocatur Galuedia. Cumque diligenter explorando recepisse a viris fide dignis sæcularibus & religiosis, ipsius patriæ notitiam habentibus, quod ad regem usque ad Kriandbright, in arctissimis locis Galuediæ progressum, mihi tutus non patet accessus, tamen propter Scotos sine capitio regimine existentes, & alios latrunculos prædas & sanguinem Anglorum sitientes, qui cum duce exercitus eorumdem occupauerant media loca inter Carleolum & ipsum dominum regem, distantem ab eadem ciuitate fere per quadraginta millaria, cum propter vietus & hospitii defectum, qui in itinere medio, vastata tota patria, reperiire vel per eam asportari nequibant: ego per obedientiæ necessitatem ex parte vna, & per tanta pericula in tam longinquis partibus de mea dioecesi & prouincia, quæ ex altera nimium nos vrgbant, arctatus, maxime non inuento inter sæculares vel religiosos quoquam qui aduentus mei causam ipsis Scottis verbo tenus, vel per literas meas, propter mortis periculum, auderet deferre, & mihi securum conductum petere ab eisdem, aliud remedium prout potui exquirens, direxi duos ex familiaribus meis ad dominum regem prædictum, cum literis meis, nauigio per quosdam

Concil. Tom. 28.

Rrrr ij

periculosos transitus maris; significans sibi per easdem aduentum meum & eius causam, & petens quod propter reuerentiam sedis apostolicæ, cuius eram nuntius, sibi significaret, vbi, qualiter, & quando, ad eum tute accedere possem propter viarum discrimina, quæ sibi per easdem meas literas nuntiaui. Cuius responso ab eisdem nuntiis, non minima pericula in mari & itinere eundo & redeundo euasis, per literas regias mihi delato, quibus continebatur quod ipse dominus rex nihil securi pro me sciuit ad vitanda dicta pericula, quam quod cum domina regina vxore sua, pro qua miserat, venirem ad partes Gerevikes, ad locum vbi dispositi eidem dominæ obuiare, deficiente nauigio, quo vna cum equis & familiaribus meis necessariis vehi possem per mare. Quod dum nuntii mei transierunt tam periculose versus regem, ventis etiam quasi continue validis & contrariis existentibus, morabar in confiniis Scotiæ, quærendo de loco in locum viætus sufficientiam potius quam abundantiam, circa sex septimanæ securioris progressus ad regem opportunitatem non tam dispendiose quam anxie expectando. Denique cum audirem diligentius explorando quod idem dominus rex cum exercitu suo in redeundo versus castrum de Caerlandrok, quod prius ceperat, in Scotia fixisset tentoria, iuxta nouam abbatiam Duzquer in Galuedia, malens periculo me meos ac mea exponere, quam in tam longinquis partibus, quodammodo vacuis, extra meam diceceſſim & prouinciam diutius sic languere, latitans in quibusdam locis secretis iuxta mare, quod diuidit Angliam & Galuediam, captata temporis opportunitate, in reflexu maris, ductus ab his quos non oportebat via transitus ignorasse, transiui per quatuor meatus aquarum maritimorum cum equis & phaleris, nomine magis (ratione profunditatis aquarum) quam litoris & viuorum fabulorum introitu & exitu periculosos, & quasi inopinate veni die Veneris proximo post festum sancti Batholomai apostoli ultimo iam transacto ad dictum dominum regem, in medio exercitu suo tunc in prandio existentem: & quia non potuit, ut dicebat, eo die vacare, mandauit mihi illo die in sero per duos de maioribus comitibus, qui tunc assistebant ei, quod in craftino, videlicet fab-

bato sequente, audiret me benigne. Adueniente igitur ipso die sabbati coram deuotissimo iuuene domino Eadwardo filio dicti regis, comitibus, baronibus & aliis militibus sui exercitus, in magna multitudine confluentibus, ac dicto domino regi assitentibus, recitato mandato vestro prædicto mihi transmisso, literas sanctæ paternitatis vestræ prefato domino regi directas, auctoritate eiusdem mandati præsentauit eidem : quas ipse dominus rex reuerenter recipiens, eas publice legi coram omnibus, & in Gallica lingua fecerat patenter exponi. Quibus auditis patienter a singulis, animauit ipsum, & induxi modis quibus potui & sciui, quod vestris exhortationibus, quoad ea quæ in dictis literis exponebantur, pareret in omnibus reuerenter. Postmodum me secedente ab eo cum clericis meis ad mandatum suum, dum deliberaret super his cum dictis proceribus suis, ac demum reuocato respondit mihi coram eisdem per interpositam personam sub hac forma :

Responsio archiepiscopo Cantuariensi ad literas apostolicas.

Domine archiepiscope, fecistis ex parte superioris & reuerendi patris domini papæ quamdam monitionem, contingentem statum & ius regni Scotiæ. Verum quia consuetudo est regni Angliae quod in negotiis contingentibus statum eiusdem regni requiratur consilium omnium quos res tangit, ac instans negotium regni Scotiæ tangit statum & ius regni Angliae, pluresque sunt prælati, comites, barones, & alii regni Angliae proceres absentes, qui non sunt nec fuerunt in isto exercitu, quos dictum contingit negotium, quibus etiam inconsultis responderinon poterit dicto summo patri nostro, aut vobis finaliter. In hac parte intendit dominus noster rex super contentis in literis dicti patris quamcuius poterit commode eosdem absentes, & nunc præsentes, simul consulere, & cum eisdem deliberatus tractare, ac per nuntios proprios eidem summo pontifici super his de communi eorum consilio respondere.

Quod quidem responsum idem dominus rex sic in sua presentia nomine suo factum ratificauit, ac etiam expresse

Rrrr ij

approbavit. Dum igitur cum tali responso , coram tanta multitudine magnatum & aliorum fide dignorum mihi facto , licentiatus diuertissem ab eo, & versus propria reuerissem, audiui quod idem dominus rex statim infra quadratum post recessum meum redit cum exercitu suo ad partes Angliae : & singulis quasi de exercitu suo ad propria cum equis & armis remeantibus, idem dominus rex exercitu sic disperso , paucis enim comitantibus , & secum retentis, perendinare disposuit, vt dicebatur communiter, apud quamdam abbatiam , quæ vocatur Holmcoltran, in confiniis Scotiæ supra mare. Et sic mandatum vestrum cum omni qua potui diligentia sum reuerenter in omnibus executus. Valeat semper & crescat in Domino ad suæ ecclesiæ regimen apostolica celsitudo vestra.

Datum apud Otteford , octauo Idus Octobris , anno Domini millesimo trecentesimo.

EPISTOLA
EADVVARDI REGIS ANGLIAE.
AD BONIFACIVM PAPAM VIII.

Respondet Bonifacio super Scotiæ negotiis.

Sanctissimo in Christo patri domino Bonifacio , diuina , &c. Eadwardus , &c. infra scripta , non in forma , nec in figura iudicii , sed omnia extra iudicium pro seruanda sanctæ paternitatis vestræ constantia , vobis transmittimus exhibenda.

ALTISSIMVS inspecto[r] cordium vestræ scrinio memoriæ indelebili stylo[nouit inscribi , quod antecessores & progenitores nostri reges Angliae , iure superioris & directi dominii ab antiquissimis retro temporibus regno Scotiæ & omnibus ipsius regibus & temporibus annexis præfuerunt , & ab eisdem pro regno Scotiæ , & eiusdem proceribus , a quibus habere volébant , legalia homagia receperunt , & fidelitatis debita iuramenta receperunt. Nos iuris & dominii possessionem continuantes huiusmodi pro tempore nostro , eadem iuramenta recepimus tam a rege Scotiæ , quam ipsius regni proceribus. Quintimo tanti iuris & dominii prærogatiua super regnum Scotiæ & eiusdem reges gaudebant , quod regnum ipsum fidelibus suis conferebant. Reges etiam ex iustis causis a-

mouebant, & constituerunt sub se loco ipsorum alios regnatos, quæ procul dubio ab antiquo notoria fuisse & esse creduntur apud omnes, licet aliud forsitan paternis vestris auribus per pacis æmulos, & rebellionis filios, falsa insinuatione suggestum fuerit, a quorum machinosis & imaginariis fragmentis, vt vestræ sanctitatis oculus auertatur suppliciter quæsumus, & paternam clementiam & excellentiam deuotis affectibus exoramus, vt breuitatis causa gestis antiquorum temporum saluis quiddam exempli causa tangamus. Sub temporibus itaque Heli & Samuelis prophetarum vir quidam strenuus & insignis, Brutus nomine, de genere Troianorum, post excidium vrbis Troianæ cum multis nobilibus Troianorum applicuit in quamdam insulam tunc Albion vocatam, a gigantibus inhabitatam, quibus sua & suorum seductis potentia, & occisis, eam nomine suo Britanniam, sociosque suos Britanos appellauit, & ædificauit ciuitatem, quam Trinouantum nuncupauit, quæ modo Londinium nuncupatur. Et postea regnum suum tribus filiis suis dimisit, scilicet Locrino primogenito illam Britanniae partem quæ nunc Anglia dicitur, & Albanaæ filio secundo nato illam partem quæ tunc Albanea a nomine Albanaæ, nunc vero Scotia nuncupatur, & Cambro filio iuniori partem illam nomine suo tunc Cambriam vocatam, quæ nunc Vvallia vocatur, reseruata Locrino regia dignitate. Itaque bie-nio post mortem Bruti applicuit in Albania quidam rex Hunorum, nomine Humber, & Albanaæ fratem Locrini occidit: quo auditio Locrinus rex Britonum persecutus est eum: qui fugiens submersus est in flumine, quod de nomine suo Humbrus vocatur, & sic Albania reuertitur ad illum Locrinum. Item Dunvallio rex Britonum, Scatarum regem Scotiæ sibi rebellem occidit, & terram eius in ditionem recepit. Item duo filii Dunvallionis, scilicet Belinus & Brennius, inter se regnum patris sui diuiserunt, ita quod Belinus senior diadema insulæ cum Britannia, Vvallia & Cornubia possederit, Brennius vero sub eo regnaturus Scotiam acciperet: petebat enim Troiana consuetudo, quod dignitas hereditatis primo-genito perueniret. Item Arthurus rex Britonum famosissimus Scotiam sibi rebellem subiecit, & pene totam

688. BONIFACIVS C. LVGDVNENSE. ADOLPHVS IMP.
P. VIII. PHILIPPVS IV. R. FRANC.

gentem deleuit. Et postea quemdam nomine Anselmum regem Scotiæ præfecit: & cum postea idem rex Arthurus apud ciuitatem Legionum festum ficeret celeberrimum, interfuerunt ibi omnes reges sibi subiecti, inter quos Anselmus rex Scotiæ, seruitum pro regno Scotia exhibens debitum, gladium regis Arthuri detulit ante ipsum, & successiue omnes reges Scotiæ omnibus regibus Britonum fuerunt subiecti; succendentibus autem regibus Angliae in prædicta insula, & ipsius monarchiam & dominium obtinentibus subsequenter.

CONCILIVM LVGDVNENSE,
QVO INHIBETVR PRINCIPIVS NE
sacerdotibus veſtigalia imponant, habitum anno Do-
mini MCCCXCVII. tempore Bonifacii papæ VIII.

N O T A.

^{A 339}
^{Chanc.}
^{B 17.}
Concilium.] *Hac Synodus*, inquit Genebrardus libro quarto chro-
nici, celebrata fuit præside Bonifacio pontifice: qui animaduertens quo-
tidie principes noua veſtigalia sacerdotibus imponere, interdum sine iusta
causa, interdixit in eo Concilio ne post hac id ficerent, neve sacerdotes
iniussi Romani pontificis illa imposita conferrent. Hæc ex Polydoro
libro decimo septimo Anglicæ historiæ Genebrardus.

CONCILIVM ROMANVM,
QVO PHILIPPVS REX FRANCORVM
excommunicatur, habitum anno Domini
MCCCCII. tempore Bonifacii papæ VIII.

N O T A.

^{A 332}
^{Chanc.}
^{B 17.}
Concilium.] Occasionem, causam & acta habiti Concilii Conra-
dus Vecerius in vita Henrici septimi imperatoris his verbis describit:
*Anno a Christo Saluatoris genito millesimo trecentesimo secundo, Fran-
corum rex Philippus, cognomento Pulcer, graue aduersum pontificem ma-
ximum Bonifacium octauum conceperat odium, tum Gibelline factio-
nis studiosorem existimans, tum quod fidem temere prævaricatum con-
tenderet. Promisisse enim sibi paucis ante annis, cum alia quedam, tum
de summa Romani imperii potestate ab Germanis ad Gallos traducen-
da, atque adeo Carolum fratrem diserte fuisse in conuentis nominatum,
cui id decus primum assignaretur. Hæc videlicet pollicita nunc cecidisse* ad